

est, ac si dixisset Dominus: *Ego tradam ipsi politicam potestatem* in Aula Regis, Turbe Jerusalem, ac in tota Judea. Nam traditio clavium antiquitus conceditæ vel commissæ potestatis alicujus symbolum erat. Errant a. Papistæ Bellarm. Gregor. de Valent. Galij, qui summam Ecclesiasticam potestatem Eliakim promissam, & in ipso Pontificis supremam autoritatē, tanquam in typo, præfiguratam fuisse docent. Vid. B. Meisner. p. 2. Sobr. Phil. c. 1. q. 3. ubi inter alia notat, quod Papicole confundant *claves domus David* h. l. cum *clavibus regni cælorum*, cum tamen illæ politicae, hæ sint Ecclesiasticæ: illæ in dominando, hæ in ministrando sitæ: illæ secularem principatū, hæ spiritualem peccatorum remissionem, aut retentionem significant. Quoad statum Ecclesiasticum, alia clavis dicitur esse *clavis cognitionis*, l. scientiæ, quando Salvator Luc. XI. 5. *clavem scientiæ*, vel *ius docendi*, Legis peritis tribuit inquit: *Va vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiæ: ipsi non introiistis, & eos, qui introibant, prohibuistis, i. e. vobis solis rapuistis ius docendi veram viam ad vitam æternam: & tamen nec ipsi eam ingredimini, nec auditoribus eam monstratis: imo etiam volentibus eam ingredi, vestris persecutionibus ac erroribus eis resistitis, ut hæc verba Flacius l. d. interpretatur.* Alia clavis administrationis & æconomiae, quæ *clavis regni cælorum* h. l. dicitur, & potestatem Ministerialem, æconomicam & organicam in Ecclesia denotat: Illegitimus usus Antichristo tribuitur Apoc. IX. 1. quia Johannes vidit *Stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, per quem nostrates Purgatorium intelligunt, quod ipsi Pontificii, tanquam puteum abyssi, describunt.*

4. Huc pertinet & illud, quod Nonnulli cum Rabb. Deo tres claves ex S. L. adscribunt: Sic n. ad illud Deut. XXIX. 12. *Quid est aperiet, inquit R. Jonathan? Tres claves sunt in manu ejus, Sancti illius Dei benedicti. Et nulla creatura habet potestatem super illas. Non Angelus, non Seraphinus. Et hæ sunt illæ. Clavis resurrectionis mortuorum, & clavis super steriles, & clavis super pluvias. Clavis super vivificationem mortuorum (demonstratur)*